



§. I.

**T**anta est sermonum Iesu dignitas atque amplitudo, ut minimarum, quae videntur, partium consideratio pie atque attente suscepta, reconditissimarum veritatum divitias in sollicitum divinae veritatis studiosum effundat. Cuius rei memor selegi jam minimam orationis Iesu partem, quae habetur Ioh. VI, 27. Ἰστον γὰρ ὁ πατήρ ἐσφραγίσεν, ὁ Θεός, in quam paulo accuratius inquirerem. Ex ipso statim doctissimorum interpretum discessu oppido patet, huic rei difficultates suas haud deesse. Abeunt autem in diversissima quaeque auctores eruditi et graves. Non enim Christum, sed panem sive cibum hominibus erogandum eo in loco, instar panum propositionis, obsignatum dici contendunt alii, aliis ad Christum ea verba referenda esse consentibus. Nec de Christo obsignato placida est omnium consensio. Quibusdam nimirum placet, sigillum quoddam personae impressum esse, tanquam notam essentiae ac maiestatis divinae, quae ipsi cum patre conveniat, appositam; signatum scilicet esse filium ad immutabilem Dei identitatem, signatum esse plenitudine formae paternae signantis Dei; signatum denique esse largissima spiritus sancti un-  
ctione,